

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

**XXV.**

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

## XXIV.

**S.** In Domino. Rogatus sum, clarissime vir, ab amicis honesti adolescentis, Georgii Tromeri Austriaci, ut ipsi ad Academiam vestram prefecturo commendatione mea adesse velim: Quod officii genus ego nec illi, nec amicis, optimè in hac Republica de me meritis, denegare potui. Fretus ergo tua singulari humanitate tibi hunc adolescentem ea, qua possum, diligentia commendō, & rogo, ut ipsum auxilio & consilio tuo juvare velis, maximè ipsius studia promovere. Quanquam enim ætas matura & statura sit benè longa, tamen videtur in primis principiis horribiliter neglectus. Plura in ipsius commendationem non scribam, ne videar de candore tuo erga me dubitare.

Est autem hic adolescentis nepos ex sorore Clarissimi viri, D. Kirchschlageri, qui in aula Imperatoria inter præcipuos numeratur, quiq; uxorem ex præstansissima Patriciorum apud nos, Breßlerorum scilicet, familia duxit.

*Katiusq;* controversiae cum Zancho tibi & tuis opto talem, qualem heri sum expeditus in causa Willingi: Is enim cum integro biennio constanter una nobiscum veram de cœna sententiam proposuisset, tandem, nescio quo fato, seu potius innata & superbia & inconstititia claudicare cœpit: Quapropter à Senatu nostro statim dimissus, & conciones ipsi sunt interdictæ. Benè & feliciter vale. Et hæc, quæ scripsi raptim, boni consule. Uxorem tuam honestissimam meo, & meæ nomine officiose salutabis. Ulmæ, 12. Julii Anno 61.

T. humanitatis studiosissimus

Rabus, D.

## XXV.

**S.** Qui tibi has reddit literas, Farellus frater, historiam partim luctuosissimam, partim etiam lætissimam nunciabit, Vir ornatissime. Certè nihil simile nostra memoria contigisse puto, referuntque prorsus res gestæ, avita herorum Israëliticorum miracula, dignæ prorsus, quæ ab egregio aliquo scriptore posteris commendarentur. Meriti autem sanè sunt, merenturque fortissimi & integerrimi fratres, quorum aliqua ratio à piis & charitatis zælo feruentibus habeatur. Quod te pro tua autoritate consuetaque sedulitate pietateque studiosè curaturum non dubitamus. Non ignoro sanè, hoc genus postulationum odiosum esse, nec injuria suspecta habetur quorundam erronum fides, à quibus non raro decepti, beneficentiam, quod ipsos attinet, perdimus; sed hic nihil esse ejusmodi, præter Genevensis Republicæ testimonium publicum, etiam alii aliquot ad me cordati fratres literis testati sunt, incorruptam esse viri optimi fidem. Accedit & ipse Farellus, venerandus senex, qui pietatis

tis ergo supra vires etiam, legationi se adjunxit, quod speret aliquam ipsiusesse penes Ecclesias Christi gratiam. Non descendissent optimi fratres ad hoc consilium, nisi summa extremaque urgente inopia, atq; adeo reliquis remediis frustra tentatis. Nostra Republica, apud quam ipsorum nomine die hodierna egi, collectam, quantum prospicio, instituet. Et ex anno munus, ut spero, non illiberale adjicet. Nec dubito, quin vester Amplissimus Senatus manus auxiliatrices & ipse porrecturus sit, & declaratur erga illum Eccliam charitatis viscera: erit remunerator is, qui pauper factus est, ut nos redederet locupletes. De Galliae statu praesenti scriberem nunc quidem, eò quod varia certaque acceperim, sed quia Farellum habes, ex quo potes explicatus omnia cognoscere, non est, ut pluribus tuis sanctissimis occupationibus obstrepam. Quare te gratiae DEI commendo cum uxore totaque familia, Symmiltis item & Professoribus, quibus salutem ut dicas meis verbis amanter & reverenter.

Exciderat quod maximè operæ pretium videbatur, ut quia isthinc hi fratres ad Carolum Marchionem profecturi, in medio ferè itinere Philibertum Marchionem habent, per te ministro ejus principis Antistiti commendetur negotium, perque Senatum vestrum ipsi principi, cum quo si aliqua notitia & tibi intercessit, non sine fructu etiam tuas ad ejus Celsitudinem adjunxeris. Scipio Basileæ. 9. Augusti Anno 1561.

T. p. totus ut semper

S. Sulcerus.

## XXVI.

**S.** In Christo. Reverende in Christo frater. Reipsa comperi, nimiam facitatem esse perniciosa. Ego motus literis D. Sturmii contuli quedam cum vestro Zancio. Ipse aurem spargit, ut audio, apud vos, me propositiones ejus approbasse. Evidem non negaverim, me in iis propositionibus non improbasse quedam. Sed & consilium reprehendi, & ne his ~~negligens~~ perturbet scholam ac ecclesiam, admonui. Propositiones de prædestinatione sic nude & simpliciter positæ magis prophanant hoc mysterium, quam explicant. In propositionibus de Antichristo & fine seculi reprehendit aliorum conjecturas, sed novis conjecturis æquè incertis. In propositionibus de fide, prorsus insanit, dum ait, Electos non posse excidere à fide, & amittere Spiritum Sanctum; & cum fingat hominem peccantem peccare tantum secundum exteriorem hominem, non interiorem, ac manifeste significat, se ~~spiritum~~ caput Pauli ad Romanos non intelligere. Optarim, ut Zancus memini-